



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Adveniat Regnum Tuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

ADVENIAT REGNUM TVVM.

De effectu primæ petitionis præcipue loquitur. Sparsa Euan-
gelij voce, regas etiam nos Spiritu sancto tuo, effice vt verbo tuo cre-
dentes, incoa in nobis regnum tuum, vt simus hæredes regni tui, &
deseras regnum Diaboli, horribiliter grassantis in genere humano,
& passim homines impellentis ad Epicureum Dei contemptum, aut
colenda idola, scelerata homicidia, libidines, mendacia, & alios fu-
ros. Aduersus hæc mala defende nos æterne Pater Domini nostri
Iesu Christi, & rege nos Spiritu sancto tuo, sicut dixisti: Effundam
de Spiritu meo.

FIAT VOLUNTAS TVA.

Id est, da vt omnes tibi obædiant in terra. Da ut pastores Ec-
clesiæ, reges, magistratus, doctores, discipuli, ciues, suo loco singuli
officium suum recte & feliciter faciant, ac omnes tibi obædiant, sicut
Angeli in celo tibi obædiunt, & placent tibi. Tuum opus est effice-
re, vt nos miseri, stulti, infirmi, res geramus bonas & salutes, simus
organa non iræ, sed misericordiæ, simus viles Ecclesiæ, non simus
petites & lasciose. Politia Ezechiæ felix est te iuuante. Politia Sede-
chiæ infelix est, quia te adiutorem repellit. Nos non repellimus te,
sed vero pectore, veris lacrymis oramus, vt nostras Ecclesias, docto-
res, scholas, principes, gubernatores, populum regas, vt aliqua fiant
tibi grata, sicut inquit Paulus: Deus qui efficit vt velitis, efficiet et-
iam ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Nam Diaboli & homi-
nos impij magno furore student ingrata Deo facere, confirmant Epi-
scopos furiosos, idola, libidines, accendunt iniusta bella, efficiunt tri-
stissimas vastitates. Sed ne totum genus humanum frustra conditum
sit, ac omnes ingrata Deo faciant, Deus Ecclesiam vocauit, & Spiritu
sancto suo trahit, vt bona & grata Deo faciat, sonet veram de Deo do-
ctrinam, audiat, recte inuocet Deum, agat ei gratias, obædiat ei,
multos feliciter abstrahat à Diabolo, pijs & salutaribus consilijs re-
gnet, tueatur pacem & honestam disciplinam.

НАСТЕ
ны и гитур petitiones complexæ sunt res summas, ac bona magis ad
Spiritum, quam ad corpus pertinentia, communia & priuata, & ordo
superius institutus est. Primum vera agnitio Dei petitur. Deinde
agnitionis effectus, vt gubernemur à Spiritu sancto. Tertio, vt in sua
quali; vocatione seu functione suum officium rite & feliciter faciat.
Nunc sequitur petitio rerum corporalium.